

corpora: in ipsa fundamenta Astronomiæ insultet. Ad omnium Artificum obseruationes prouoco: ex quibus videre est, quanta saepe sit inter verum locum, & inter eum, quem calculus indicat, differentia, quæ interdum in quibusdam ad 2. integrorum graduum longitudinem excrescit. Quod cum ita sit, expedit mihi non nihil à Copernici numeris discedere: & iam porrò diligentium obseruatorum iudicio relinquitur, vtri arcus cum cælo propiùs conueniant, mei, an Copernicani.

Alterum argumentum, quo differentiæ huius culpam in ipsas prutenicas transfero, præbent mihi suspectæ Planetarum eccentricitates: quod eò tendit, vt quamuis nec mei arcus omnino perfecti & certi sint (sicuti fateri cogor) tamen vitium ex contagione eccentricitatum contraxerint. Si corpora super mediæ planetarum distantia superficies sphericas struerentur, vt eadem superficies circumscripti corporis centra, & inscripti angulos tangeret: tum nihil mihi rei esset cum orbium crassitie, quam requirunt viæ Planetarum eccentricæ. Cum autem illud fieri non potuerit; & nondum similiter causa eccentricitatum, vt & differentiarum, explorata sit: oportuit me orbium spissitudines à Copernico, tanquam certas mutuari: quas tamen non certissimas esse in confesso est. Quamuis enim omnis cælestium motuum historia lubrico est aditu, per diuturnas, & difficiles obseruationes: præcipuè tamen hoc in constituendis eccentricitatibus & locis Apogæorum apparet, Solaris (vel terrestris) eccentricitas omnium rectissimè habere debebat, Nam & vicinissima stellarum est Tellus nobis incolis, & paucioribus quàm cæteræ motibus vehitur. In mundo verò per interiecta corpora struendo, supra cap. XV. vidimus, quantum afferat momentum ad omnes sphaeras artandas aut laxandas solius *ὑπερσίου* lunaris appositio vel exemptio, qui valde exigua portiuncula terrestris orbis crassitiem excedit. Hic igitur orbis, quem certissimè dimensum habere oportebat, & posse verisimile erat; hic, inquã, vide, in quãta versetur difficultate apud Copernicum qui ipse lib. 3. Reuol. cap. 20. queritur, quòd *per minima quadam & vix apprehensibilia magna ratiocinari cogamur, quòd interdum sub vno diuersitatis scrupulo 5. vel 6. gradus pratereant, & modicus error in immensum sese propaget.* Quantò peius igitur habebunt spissitudines orbium

orbium